



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

2. De inuoluntario ex necessitate, impedimento, coactione & violentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)



7. *Ex hac autem conclusione* sequitur quod omnis euentus, qui præuidetur secutus omissionem, siue puram, siue non puram, sit tam liber voluntati, non posito præcepto, quam eo posito, quia prorsus nihil facit ad libertatem ipsius positio præcepti, quamvis faceret ad imputabilitatem; & quia ideo non esset liber non posito præcepto, quia non esset tum fundamentum sufficiens ad interpretandum, quod egrederetur à voluntate, esset autem tale fundamentum, quando adesset præceptum: hoc autem est falsum, quia præuisio ipsius secutus, & indifferentia voluntatis ad ipsum impediendum esset tam sufficiens fundamentum ad id interpretandum quam præceptum.

*Sed contra hoc obijcies*, ex Vasq. & Cornecio oppositum tenente in Tractatu de Actibus humanis: Euentus sequens ad omissionem non est à voluntate, vt à causante ipsam; nec physice, nec moraliter absq; præcepto: ergo non est liber. Probatur antecedens quia non physice, cum omisso qua mediante sola esset ab ipso non habeat influxum physicum in illum effectum seu euentum; non etiam moraliter quia non esset aliqua causa, ob quam haberet moralem connexionem cum ipso.

*Respondeo* negando antecedens, esset enim tam physice, aut moraliter tum, quam si esset præceptum. Itaque esset physice ab ipso tanquam à non impediente physice, & esset moraliter ab ipso, quia præuideret euentum futurum, & posset impedire ipsum, sed nollet.

*Obijciunt idem secundo*, quod sequeretur peccata nostra esse libere & voluntarie à Deo, sed hoc est inconueniens.

*Respondeo* distinguendo maiorem indirecte & permittive concedo, nec id est inconueniens, sed certum alio modo & præsertim culpabiliter, nego maiorem, & iam negaui ninorem in sensu, in quo concessa est maior.

## QVÆSTIO II.

*De inuoluntario ex necessitate, impedimento, coactione & violentia.*

8. **V**T melius intelligatur ratio voluntarij solēt agere Authores de inuoluntario, quos placet in hoc sequi.

## CONCLUSIO I.

*Voluntas potest impediri ab actibus suis tam elicitis quam imperatis & tum omisso illorum actuum esset ipsi inuoluntaria ex impedimento secundum se formaliter, licet posset esse voluntaria obiectiue, vt si haberet volitionem aliam qua esset contenta, quod esset talis omisso.* Conclusio hæc est communis.

*Probatur prima pars*, quia si Deus impediret cognitionem phantasticam & intellectiuam, non posset appetitus sensitius appetere, nec voluntas velle; & si permitteret illas cognitiones & non veller concurrere cum illis potentiis, nō possent elicere suos actus: ergo in utroque casu impedirentur ab actibus suis elicitis. Deinde si quis inuitum teneret in sessione, non posset stare: ergo possent impediri voluntas & appetitus ab actu imperato, qualis est sessio, & idem est de reliquis similibus, in quo non est difficultas.

*Probatur secunda pars*, quia tum omisso illa sequens ob illud impedimentum non esset ipsi voluntaria formaliter, nec voluntarietate libera, quandoquidem necessitaretur ad ipsam, nec posset eam non habere; nec etiam voluntarietate vt sic, aut voluntarietate necessaria, quandoquidē non egrederetur effectiue ab ipsa voluntate, sed sequeretur ad impedimentum illud, quod non poneretur à voluntate, sed ab alia aliqua causa; ad hoc autē vt esset voluntaria formaliter, deberet ab ipsa voluntate vel directe, vel indirecte procedere effectiue.

*Probatur denique tertia pars*, quia posset voluntas esse contenta illa omissione, sicut potest quis esse contentus infirmitate, quā nequit deponere; sed tum esset voluntaria obiectiue, hoc est voluntarie volita, sicut obiecta vo-

lita dicuntur voluntaria per hoc ipsum, quod terminant volitionem, quamuis non ponantur per volitionem.

## CONCLUSIO II.

9. *Potest voluntas quoad actus imperatos necessitari, cogi, & violentari.* Hæc est etiam communis.

*Probatur* quia potest quis nolēs impelli ad sedendū, vel standum, vel porrigendum manum, & posset contra suam inclinationem naturalem projici furtum; sed tum: necessitaretur, quia non esset in manu ipsius id impedire, & cogere, quia induceretur ad aliquid, quod esset contra ipsius inclinationem elicitam, quandoquidem vt supponitur, nollet illos actus fieri, quod est cogi iuxta acceptionē, qua plurimi vtuntur; & denique necessitaretur ad aliquid contra inclinationem naturalem, quando projiceretur furtū, quod est violentari, vt hoc significat aliquid à necessitate præcise, & à coactione distinctum.

*Addo autem* in his casibus, quod magis spectat ad propositum, quando necessitaretur voluntas siue cū coactione, siue cum violentatione, siue quocumque modo ad huiusmodi actus independentē à sua libertate, quod tum actus, ad quos necessitaretur, essent ipsi inuoluntarij inuoluntarietate indifferentiæ; si tamen necessitaretur dependentē à volitione, quam necessario haberet, non essent ipsi inuoluntarij inuoluntarietate vt sic, quia tum essent voluntarij voluntarietate vt sic, in quo non est difficultas.

## CONCLUSIO III.

10. *Deus potest necessitare voluntatem ad actus elicitos produciendo illos in voluntate se solo, illa mere passiuē se habente, & tum essent inuoluntarij tam inuoluntarietate vt sic, quam indifferentiā non tamen potest necessitare ad illas voluntate effectiue simul concurrente.* Prima & tertia pars probata est 3. p. Cursus disp. de voluntate quæ hic non placet repetere. *Probatur secunda pars*, quia non procederent à voluntate effectiue: ergo non essent ipsi voluntarij vllō modo.

## CONCLUSIO IV.

11. *Non potest voluntas violentari ad actus elicitos, nec cogi etiam.* Probatur, quia vt violentaretur, deberent illi actus esse contra inclinationem naturalem ipsius: sed non sunt, vt patet: ergo nequit violentari. Vt cogere, etiam proprie, vt hic loquimur de coactione, deberet produci in ipsa aliquid contra inclinationem efficacem elicitam ipsius & sic cū haberet nolitionem efficacem faciendi aliquid, deberet necessitari ad volitionem efficacē id faciendi, aut ē contra: & sic haberet simul nolitionem & volitionē efficacem eiusdem, quod supponitur communiter repugnare. Si tamen non repugnaret, posset cogi voluntas ad actus elicitos per diuinam potentiam. Quod si etiam sufficeret ad coactionem, quod quis necessitaretur ad volitionem obiecti, cuius haberet nolitionem inefficacē, cum huiusmodi possit cōpari formaliter cum volitione efficaci, non potest esse dubium quin posset voluntas cogi, modo posset necessitari.

*Aduerto autem* ad præsens parum referre an voluntas possit violentari, aut cogi, prout hæc dicunt aliquid supra necessitatem; sed totum quod facit ad rem est, an possit necessitari; nam actus ad quos necessitabitur, siue cogatur ad illos aut violententur, siue non, erunt inuoluntarij inuoluntarietate indifferentiæ, quod per se facit ad propositum.

## QVÆSTIO III.

*De inuoluntario ex metu.*

**S**uppono metum esse agritudinem illam, quæ sentiri solet, quando iudicatur malum aliquod imminere, sed cum omnes quid sit intelligant, non est opus in eo describendo hætere. Distinguitur autem communiter in metum cadentem in virum constantem, & in eum qui non cadit in talem, sed in virum imbecillioris animi; ille est qui causatur à malo, quod prudenter & honeste præferri debet malo alteri, quod ob metum sit; hic vero qui non est talis.

CON

Voluntas potest impediri ab actibus suis elicitis aut imperatis.

Tum omisso voluntas non esset voluntaria formaliter.

Potest esse voluntaria obiectiue.

Voluntas potest cogi, necessitari, & violentari quoad actus imperatos.

Quomodo Deus potest necessitare voluntatem ad actus elicitos.

Nequit voluntas cogi aut violentari ad actus elicitos.